



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Primus & Felicianus. MM. 9. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

SS. PRIMUS & FELICIANUS.

MM. 9. Iunii.

P R I M U S & F E L I C I A N U S cum Iove & Hercule falsis Diis, Diocletiano & Maximiano crudelissimis Imperatoribus decertarunt, solâ adversus illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cujus ut insignia documenta darent, Angelorum beneficio viam sibi ad fugam aperientium noluerunt uti. Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cælo sunt, libarunt, ne viribus succumbentibus, levioribus, quam vellent, suppliciis defungerentur. F E L I C I A N U S octogenario major castus, & suffixas unguibus subulas vultu immoto tulit: mentiente nihilominus, ut P R I M O fucus fieret, Præside, Felicianum tormentis cessisse: stultâ impudentiâ: cum Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Primum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces ardentes suo sanguine extinxit: liquatum plumbum (tanta erat patiendi sitis) velut fontanam bibit. Leones & ursi cum illis compositi nec animorum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam securi cæcos muscæ canesque non ausi sunt contingere; tanta est virtutis etiam apud animantes æstimatio. Utinam homines, qui soli tanti capaces boni sunt, & præmia noverunt, suis hæc animum decora mome-
tis

9. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 363
tis expendere ! Sed eheu ! quàm vili
venditur innocenti ? *Ex Surio.*

*In hâc vitâ virtus non est, nisi dilige-
re quod diligendum est : id eligere pruden-
tia est : nullis inde averti molestiis, forti-
tudo est : nullis illecebris, temperantia est ;
nullâ superbâ, justitia est. S. Aug. Epist.
ad Maced.*

S. SYLVESTER CONF. 9. Iunii.

Ventura (namque hoc primùm S Y L-
V E S T R O nomen erat) quo tempo-
re Florentia à B. Jordanis ore tota pen-
debat, fulloniam illic exercuit, ipse etiam
candidissimæ mentis. Quare facîle lo-
cum in hoc Jordanis verba invenerunt.
Sed rectius illi eodem tempore visus in
cruce Christus concionatus est, plagis
suis semper ad misericordiam conci-
tandam facundis. Certè semel illi visus
cælestis Agnus nunquam postea mente
excidit, sed velut semper eadem spe-
ctacula expeteret, illa crebrò inter lacry-
mas, & singultus verba jaculari ad cælos
auditus est : *Ad te levavi oculos meos, qui
habitas in cælis.* Ad quæ verba mirabatur
ille, non ad instar ceræ liquefcere ho-
minum corda. Hæc itaque eremiticam
vitam persuasere viro, mutato Venturæ
in Vincentii tunc nomine. Insidiantem
castitati suæ amorem cum sentiret, urti-
cis tergum suum armavit ; ecce fugit
ille,